

LECTVRIS
SALVTEM PLVRIMAM DICIT
EOSDEM QVE AD AVDIENDAM
ORATIONEM
SVMME VENERANDI
HONORVM THEOLOGICORVM
CANDIDATI
CRASTINO DIE AB HORA IX.
IN AUDITORIO MAIORI
PRIMORDII CAPIVNDI CAVSA RECITANDAM
QVANTA FIERI PAR EST
HINC OBSERVANTIA, HINC HVMANITATE
INVITAT
D. GOTTLIEB
VVERNSDORFIUS
P. P. CONS. P. ET SVP. GEN.
ORDINISQVE SVI
h. t.
DECANVS.

Coll. diss. A
259, 62



AVV
32198



B

ecte ac sapienter a Majoribus est institutum , ut , antequam Candidato , summos in Academiis honores , maxime Theologicos , capessendi , licentia detur , peculiari quodam , publicoque scripto , de illius ortu , vitaque , ac studiis , exponatur . Nec enim res ludicra , vel jocularis est , hunc illumve , non solum testimonio doctrinæ solenniter , ac velut assidente Numinе , ornare , sed & in cathedram , cum potestate docendi , qua nihil gravius , aut sanctius est , collocare . Qum creandi olim essent Hierosolymis septem Diaconi , jubebat Petrus circumspicere ἀνδρας μαρτυρεύεις , seu honorifico aliorum testimonio commendatos , *Aet. VI. 3.* Paulus autem non parum eo se efferebat nomine , quod , collectis apud Corinthios meritis , non , perinde ut alii , commendatitiis egeret . *2. Cor. III. 1.* Denique Joannes , Apostolus , ea de causa gratulabatur Demetrio , quod bonum ei testimonium a Deo & hominibus datum esset . *III. Epist. v. 5.* Nempe , quod Georgius Major olim non inepte scribebat : *Deus vult conspicere tota Ecclesia eos , quibus testimonia dantur , ut certa sit de illorum vocatione , & ipsorum doctrinam & mores probari toti presbyterio , & iis , quibus gubernatio Ecclesiae commendata est .* Ante igitur , quam quis ad honores publicos admittatur , præmittenda sunt

A 2

quæ-

quædam de illius vita, rebusque gestis, ac moribus, quod omnium interest, ut constet, qualis, quantusque ille sit, qui & titulum dignitatis plenum, & potestatem publice in Ecclesia docendi sibi postulat impertiri. Interim quod multorum vita tantum materiæ vix suppetit, quantum vel scribentis alacritas, vel etiam instituti dignitas, requirit, multi etiam, vel, quæ ipsis eveniunt commemoratione digna, non annotant, vel documenta, e quibus peti poterant, ac debebant, non afferunt, hinc, ut subinde vitis aliqua præmittantur, non omnino abs re aliena, vel lectione indigna, usus obtinuit.

Sed enim nullo mihi vel vestibulo, vel antecessione, est opus, quando de *Viri Summe-Venerandi, Magnifici, Amplissimique, IOANNIS ANDREAE GLEICHII, Potentissimi Sarmatarum Regis, ac Principis Electoris Saxoniæ a Consiliis Ecclesiasticis, & Concionibus Aulicis*, summos hac in Alma honores capessituri, vita dicendum est. Hæc enim pro se loquitur, tantamque scribendorum multitudinem, copiamque, complectitur, ut vix justum volumen, nedum paucæ, quas nunc meditor, paginæ, illi pro dignitate persequendæ sufficient. Parcemus igitur hinc legentium patientiæ, hinc chartæ, ac de AMPLISSIMI CANDIDATI ortu, genere, studiorum cursu, muniis, juxta & meritis, pro instituti ratione, breviter quidem, sed procul ambagibus, addo & phaleris, sic enim fieri voluit, exponemus.

Natus est NOSTER secundo Calendas Januarias anni seculi superioris *septimi & sexagesimi*, Geræ ad Elystrum, urbe Illustr. Comitum Ruthenorum sede, Gymnasi celebritate, ciuium elegantia, commerciorum denique frequentia, nobili, quam, si non principem & caput, ocellum saltem, Varisciæ jure merito nominaris.

Nec

biorum exquirat, & instructus ænigmaticis parabolis conservetur.
cap. XXXIX. 1. 2. 3. Alia Veterum Christianorum erat,
quorum e numero, seculo jam dum tertio, Pamphilum
Cæsareensem instructissimam bibliothecam habuisse,
testis est bibliothecæ, juxta & nominis, heres, *Eusebius Pamphili*. Res ipsa quoque id loquitur, Theologos,
& veritatis divinæ assertores ac Vindices, aliqua saltem
librorum supellestile, non magis, quam vel militem ar-
mis, vel artificem instrumentis, carere posse. Unde
adeo legimus, e bibliothecis, maxime publicis, ple-
rumque prodiisse Viros, qui & ultra vulgus saperent,
ac præstantissima quæque in lucem emitterent. Nec
enim potuisset *PLINIVS*, (verba sunt *MORHOFII Po-*
lyhistoris,) tam divitem nobis rerum naturalium penum re-
linquere, nisi in subsidium Bibliothecas Romanas adhibuisset.
Nec ipse *ARISTOTELES* tam multa, tam diversa, in omni
studiorum, in omni Philosophiæ, genere, nobis reliquisset, nisi a
veteribus Bibliothecis adjutus, quem primum e Græcis Biblio-
thecam instituisse, & collegisse, volunt. Cui, inter tot thesau-
ros versanti, ingenio illo & judicio propemodum divi-
no, facile erat ditare postera secula. Neque potuisset tam
varia, tam vasta, opera scribere *SIRMONDVUS*, nisi Petavia-
nam bibliothecam ad manus habuisset, & rarissimos, qui in ea
servantur, codices. *Quantum SALMASIO profuerit Biblio-*
theca Heidelbergensis, legas in Vita Salmasiana, epistolis ejus
præfixa. Hæc enim prima tam vastæ eruditionis jecit funda-
menta. Atque ut proprius ad rem accedam, nunquam
vel *EVSEBIVS* suam Historiam, vel *PHOTIVS* suum
μυριοβιβλον, vel *CHEMNITIVS* incomparabile illud,
invictumque prorsus, Concilii Tridentini Examen, scri-
bere potuisset, si absque Bibliothecis, Cæsareensi,
Constantinopolitana, & Regiomontana, fuisset. *Quod*
Cum

cum attendimus, ignosci privatis debet, denuo cum MORHOPIO loquor, si hac discendi cupiditate abrepti cum rei sue familiaris jactura hic insaniant. Etenim, si unquam, hoc cum ratione insanire est, qua multos ita abductos vidimus, ut vel genium fraudarent, quo animum his deliciis pascerent. Aliqui vel vitam sibi acerbam exsillimarunt, si libris sibi carendum foret, ut igni & aqua sibi interdici tolerabilius habuerint, quam librorum facere jacturam. Hos inter CANDIDATUM Nostrum retulerim, qui non solum magnam facultatum partem in libros impendit, sed & decumanis saepe jactatus fluctibus intra eos se abdidit, ab iisque, post Deum, recreationem, & solatium expectavit.

Nec tamen illorum est imitatus morem, qui, nescio, invidia, aut dissidentia, ducti, libris, ut draco ille thesauris, sic incubant, illorum ut ab inspectione ac usu alios omnes prohibeant. Quin imo, si quis unquam mortali-
um, certe NOSTER, in suis expromendis, & cum aliis com-
municandis, officiosum se praebet ac facilem, saepe ut alio-
rum vel modestiam, vel in petendo cunctationem, suis
studiis antevertat, Gallorum nempe facilitatem, quam
nuper admodum mire deprædicavit WALLINVS
NOSTER, non Anglorum difficultatem, de qua
GRONOVIUS alicubi queritur, imitatus. Cui rei
non possum, quin exemplo faciam fidem. Ob-
servarat idem, Theologiam, quæ sic vocatur, mysti-
cam, denuo, quorundam opera, studioque, revocari in
scenam, & velut postliminio in Ecclesiam reduci.
Eiusdem enim scriptores denuo imprimebantur typis,
& nimiis ornabantur elogiis, insinuabantur etiam ho-
minum manibus, & spargebantur in vulgus, non sine
aperto receptæ religionis damno, quæ hoc pacto non
solum adducebatur in contemptum, sed & præsenti
expo-

exponebatur periculo, quod per nimiam Mystices admirationem hominum animi, nec opinantes, vel fanaticis imbuerentur erroribus, vel saltem inducerentur ad mitius sentiendum de Papistis, quos inter plerosque vixisse Mysticos, negari non potest. Atque huic quidem tantum non epidemio malo remedium quærebant omnes, quotquot vulneribus Ecclesiæ tangebantur. Ceterum, cognito, meditari me *Examen Librorum* Jo. ARNDII de V. C. quorum auctoritate omnes temporum nostrorum fanaticos suam ad libidinem abuti, est in propatulo, communicavit mecum, sponte sua, tres memorabiles ARNDTII ad PISCATOREM, P.P. Jenensem, epistolas nondum editas, & dissertationi nostræ, sub *Trifolii* nomine, adjiciendas, quibus ipsis quantum lucis toti argumento illi, ac mihi met ipsi, fuerit allatum, dici a me vix potest. Tantum interest, etiam celebrium virorum epistolas in privatorum bibliothecis sollicite affervari. NOSTER tamen omni sua supellectile libraria hucdum non ad ostentationem sed publicam utilitatem, est usus. Quod quidem tum maxime apparuit, quando, multis abhinc annis, hortantibus, qui Lipsiæ tunc erant, Theologis, JOANNIS HVLEMANNI, qui *Vittenbergensem* primum, hinc *Lipsiensem* Academiam, fama nominis, & meritorum magnitudine illustravit, *Commentarium in JEREMIAM Prophe-tam*, non solum a Sphalmatibus prioris Editionis innumeris purgavit, & inde a capite nono & trigesimo ad finem usque, *Aphorismis Theoreticis* auxit, sed & *Analysis* insuper *Grammaticam in THRENOS* una cum *Aphorismis Theoreticis* adjecit. Dignus certe visus est labor, qui a Celeberrimo Lipsiensi Theologo, VALENTINO ALBERTI, peculiari præfatione ornaretur. Quin

& frui copiosiore, qua gaudet, bibliotheca potuit ad officium suum tanto commodius, & accuratius, præstandum. In hoc enim tantum abest, ut vel remissior, vel negligentior, fuerit, ut etiam Collegarum aliquando nunc ægrotantium, nunc peregre absentium, partes non raro in se susceperit, satius arbitratus, si, validus ipse, alias decumbentes levaret, quam ut, ipse decumbens, ab aliis juvaretur. Est enim natura sua humanus, comis, affabilis, ac prope supra modum officiosus, qui, cum semel annuit, alienum etiam negotium sic curat, ut non mandatam, sed suam, rem agere videatur. Quod ipsum non auditum, sed cognitum, prædicamus. Invicem fugitat lites, affectus in potestate habet, nec quicquam magis odit, quam studium novandi, memor ejus, quod sapiens AUGUSTUS Cæsar olim dicere solebat: *Boni Civis esse, præsentem reipublicæ statum immutatum nolle.*

His igitur rebus effecit, ut & in Aula virtus ejus indies exsplendesceret magis, & ipse ab exteris experteretur frequentius. Anno enim hujus Seculi tertio, a Serenissima Principe ANNA DOROTHEA, e Domino Saxo-Vinariensi, Abbatissa Quedlinburgensi, ut Celeb. Theologo, D. GERHARDO MEJERO, qui Bremam abierat, in obeundis Pastoris, Ephori, & Consiliarii Ecclesiastici, muniis succederet, est invitatus. Anno quinto a S. P. Q. Gorlicensi ad Pastoratum in Urbe sua primarium, Anno decimo ad subeundas Ephori Generalis, in ditionibus Altenburgicis, partes; Anno decimo tertio ab Senatu Pirnensi denuo ad suscipiendum Pastoris Primarii munus, cum Ephoria conjungendum, est invitatus. Anno denique quarto & decimo etiam Pastoratus primarius ad Ædem Divi Jacobi, ab Ham-

bur-

plausu exceptum, ut semel iterumque illius sit repetita
editio. Adjecit dissertationes de medico reprehensibili &
irreprehensibili, de cura Theologica, optima medicinæ praxi,
de navigationibus veterum & insignioribus quibusdam classi-
bus, nec non dissertationem, quod nomina non semper omen
habeant, præfationem quoque, & indicem homileticum,
DORSCHAEI Pentadecadi dissertationum, Lipsiae de-
nuo imprimendæ, præmisit. Inde adeo factum est, ut
multoties ejus opera expeteretur ab aliis, dubiumque
esset, num alii frequentius eum sibi exposcerent, an
Torgenses negarent. Vix annum Torgæ consumse-
rat, cum, a Serenissimo Saxonie Electore **JO. GEORG.**
IV. sistere se Dresdæ, & quid perorando ad populum
valeret, ostendere juberetur. Anno post ab Senatu
Pirnensi nominatus est urbis suæ Pastor Primarius. At
ei destinatus honos alieno tum artificio intercipieba-
tur. Non ita multo post id serio agebatur, ut **Saxoni**,
contra Gallos militatum ituro, a sacris esset in itinere,
& castris. Mors Principis intervenit. Quum dein-
ceps Luneburgenses ei sacerdotium in urbe sua prima-
rium, quocum antiquitus Ecclesiarum inspectio co-
hæret, offerrent, utut eum Vitembergenses Theologi
ad illuc abeundum impellerent, a se ipso, ut faceret,
impetrare non potuit, procul dubio, quod Aulæ vide-
batur natus. In hanc ad concionandum denuo accer-
sus, paruit, Torgensibus, lacrymis etiam futuri des-
derii dolorem indicantibus, valedixit, Dresdam se con-
tulit, & munus suum, habita e *Marci XV. 15.* concione,
feliciter dedicavit. Mox in mandatis accepit, ut
HERUM comitaretur, qui tum copias Cæsareanas, &
suas, in expeditionem adversus Turcos educere medi-
tabatur. Paruit, factoque per Bohemiam, Moraviam-
que, itinere, & peragrata maximam partem Austria, co-

mitatus quidem SAXONIS, præterita Vindobonna, recta
in Hungariam contendere, NOSTER autem, acce-
pto peculiari nuncio, ad Regiam divertere, ac in
HERI Clementissimi hospitio Sacra curare, jussus est.
Coluit, fecitque, officium NOSTER. Mox autem comi-
tatum reliquum insecutus, Sempronii aliquantulum
substitut, Jaurino, Comorrha, Buda, transiit, Segedinum,
quam ad urbem totus erat coactus exercitus, pervenit,
quocum deinceps Tibiscum, et Marisum trajecit. Hinc
propius hostes mota sunt castra. Temeswarium fuit
obsidione clausum, ad quod liberandum, cum Turcus
ingenti cum exercitu adventaret, sui copiam fecerunt
Cæsareani, quos una cum suis, in aciem eduxit SAXO.
NOSTER, eo ipso, quo pugnatum est die, priusquam ire-
tur in hostem, in tentorio *HERI* concionatus fuit.
Hinc, ut jussus erat, sese ad impedimenta recepit, pre-
cibus suos dimicantes juvit, penes quos fuit victoria,
cruenta quidem illa, sed quæ SAXONI gloriam, Tran-
sylvaniæ salutem, attulit. Hæc enim præsenti tum fuit
exemta periculo, & a Cæsare conservata. Post illam,
dimisso ad hyberna milite, rediit ad Urbem SAXO, cum
SAXONE NOSTER, qui, quoad in urbe mansit *HERUS*,
officium fecit in Sacris, ad quæ nemini non, etiam exte-
ro, patebat aditus. Et hic quidem singularem Numinis
gratiam deprædicare habet, quod non solum tot ac-
tantis periculis, sed etiam medios inter adversarios,
sacris, nemine interpellante, nedum turbante, defun-
gi potuit. Nec enim vel Sempronii, (ubi rogatus a no-
stris, in Oratorio, quod vocatur, magna in frequentia
docuit, ob eamque rem multis, a primoribus Ecclesiae
Brißmanno, & *Dobnero* benevolentæ significationibus au-
ctus fuit,) vel in castris, vel alias, ac ne Vindobon-
iæ quidem, quod mirum, qui ei vel concionanti, vel
sacris

sacris etiam operaturo, molestiam exhibere tentaret, inventus fuit. Imo, quum Vindobonnam, pridie Dom. XXII. post Trinit. SAXONI per Pflugium, Comitem, quem habebat, præcipuum, allatus fuisset nuntius, quo lætior affiri non poterat, natum Ei scilicet e CHRISTIANA EBERHARDINA, Brandenburgica, filium esse, totius nunc Electoratus heredem, postridie, ut jussus erat, et concionem evangelio illi accommodavit, et Deo conceptissimis verbis gratias egit, & pro HERO Serenissimo, HER Aque, & recens-nato HEREDE, vota calidissima concepit. Substitit & Vindobonnæ tam diu, donec de reditu in Saxoniam cogitaret HER U.S. Quo cognito, vehiculis publicis per Morauiam, Bohemiamque, non uno quidem periculo defunctus, salvus tamen de cætero, & incolumis, in Saxoniam rediit, magna suorum, Bonorumque omnium, lætitia, & congratulatione exceptus.

Redditus sibi, Musisque suis, omnes Pauli epistolas pro concione commentationibus suis illustrare instituit, quarum pleræque, utpote ad Galatas, Ephesios, Philippenses, & Colossenses, typis impressæ extant. Dedit præterea Commentationem in Prophetiam Jonæ, quæ sub titulo Nini Saxonice, semel ac iterum exiit in lucem. Subinde etiam nonnulla elegantioris literaturæ attigit argumenta. Nec enim Theologum dedecet, profanam eruditionem conciliare cum sacra, dum parce, sobrie, & cum judicio, id fiat. Namque & Mosen omni Ægyptiorum sapientia innutritum fuisse, legimus in Scriptura, & inter Veteres etiam Doctores, optimum & sanctissimum quemque, Clementem, Eusebium, Basilium, Gregorios, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Synesium, juxta sacras, etiam elegantiores Græcorum & Romanorum literas amasse, ac inter se copulasse, accepimus. Edidit ergo NOSTER, magni illius Literatoris,

ris, CHRISTIANI DAUMII, Epistolas, de quibus Eruditos in Actis suis honorifice sentire meminimus, Historiam etiam Numismatum, quæ Anno sup. Seculi 93. Lipsiæ impressa, BIGNONIO quidem in Gallia, FRANCIO autem, Bandurii Bibliothecam numariam recensenti, in Germania, (sed quantis Viris!) laudem expressit, vehementerque probata fuit, denique Dissertationem Historicam *de Theologis in Aula Electorali Saxonica*, velut antecessionem quandam justi voluntatis, quod meditatur, cui quidem scribendo tanto magis omnium judicio habetur par, quanto pluribus eam in rem subsidiis est instructus. Præter constantem enim lectionem, qua utitur, et multam variamque doctrinam, etiam magnam copiam librorum, tum impressorum & riorum, tum manucriptorum, addo & numorum veterum, possidet. Quo ipso, quantopere quis in scribendo juvetur, rerum periti norunt. Nec enim hactenus cum Antonio Eremita facere possumus, qui, a Philosopho quodam rogatus, qui sine librorum supellecile vivere possit? respondebat: sufficere sibi naturæ librum, qui nullo non tempore sit ad manus. Et si enim ex hoc non solum multa, sed præclara etiam, & plura, quam vulgo persvasum est, discere queamus, tamen, non est putandum, quod in eodem uno, soloque, acquiescere debeamus. Si enim is sufficeret, vel etiam de voluntate Dei sufficere deberet, quid opus foret τοῖς λογιοῖς τῆς Θεοῦ, non uno volumine comprehensis? Alia veterum Ebræorum sententia erat, quorum e numero SYRACIDES, Theologum & Legis divinæ interpretem formaturus, ait: *Hic sapientiam antiquorum omnium exquirat, & in prophetiis occupetur: narrationem Virorum inclitorum conservet, & instruētus variis parabolis cum eis ambulet: Hic occulta proverbia-*

terum institutis, sua pro dexteritate ac facundia exponebat. Ab hoc igitur non solum publice, privatimque, institui, sed & anno superioris seculi *septimo* & *octagesimo* latirea Philosophica die 13. Octobr. ornari, ab hoc denique in publicum, eathedramque, produci voluit. Nec enim hac mente gradum *Magisterii* ceperat, ut inani quodam titulo, quod abjecta faciunt ingenia, superbiret, sed ut campum, in quo sua virtus posset decurrere, aliosque docere, nancisceretur. Anno igitur sequenti, *Octavo* & *octagesimo*, postr. Nonarum Maji, eodem illo SCHURTZFLEISCHIO praeside, disputationem habuit, ex historia Græca, de *Peloponneso*, ad quam cum *XII. Cal. Junii* aliam de *lacrymis Veterum*, ad illustrationem loci *Marc. XVI, 10.* adjecisset, potestatem privatum docendi ab Ordine Philosophico haud gravatim obtinuit. Sunt, qui cruda nonnunquam studia protrudunt in publicum, & alios docere sustinent, cum ipsi discere potius deberent, de quibus MICHAEL WALTHERUS, accuratisimus ingeniorum censor, dicere solebat: *Quomodo hi bene docebunt alios, qui male didicerunt?* NOSTER autem, qui dexteritatis tuæ conscientiam habebat, merito animum adjiciebat ad docendum, postquam ipse cum satis diu, tum satis bene, didicerat. Aperuit igitur scholas *Logicas*, *Metaphysicas*, *Historicas*, *Oratorias*, *sacras*, & *profanas*, nec sine fructu, nec procul juvenum studia æmulantium applausu, qui ejus aspiditate, ingenio, fidilitate, ac loquendi promptitudine, capiebantur. Horum etiam desideriis & frequentia invitatus, multa numero, eademque non proletaria, themata publicæ ventilationi subjecit, utpote, *de Magno*, qui sic vocatur, *Christophoro*, die 14. Nov. 1688. *de Luna Turcica deficiente*, seu decrementis Imperii Turcici d. 2. Martii 1689. *de baptismo Joannis ad Matth. III, 6.* d. 13. Jul. 1689. *de Philosophia Jonica*

B

Jonica

*Jonica, anno 1690. de S. Eucharistia mortuis & moribundis
olim data, & alia id genus, ne quid de periculis, & ex-
ercitationibus, quibus fuit in Alumneo perfunctus, ad-
jiciam.*

Interim Jenensi etiam Academiæ aliquid dandum
esse temporis putabat, quod & patriæ suæ vicina esset,
& ipse, ob vires perpetuis lucubrationibus exhaustas,
spatio quodam indigeret ad respirandum. Jenam igitur
excurrit, &, ne illa profectio detrimentum aliquod stu-
diis suis afferret, a **CASPARE SAGITTARIO** V. Cl. ut
in domum & convictum reciperetur, obtinuit, cuius
etiam ductu in historiarum sacrarum cognitione mul-
tum profecit. Ceterum ea in Academia sic vixit, ut et
omnibus publice in eadem docentibus, sigillatim vero,
POSNERO, **DANZIO**, **Jo. ANDR. SCHMIDIO**, in pri-
misque temporis sui Eucli, **WEIGELIO**, proprius in-
notesceret, & duobus præcipue celebratis Theologis,
FRIDEM. BECHMANNO & **Jo. GVL. BAYERO**, esset
charissimus. Non tamen ita multo post remigravit
Wittebergam, cui redditus, cepit magna cum conten-
tione illam disciplinam tractare, cui se totum devove-
rat, cujusque adeo gratia jam multa didicerat, id est, The-
ologiam. Præterquam enim, quod **CHRISTIANVM**
DONATI, Primæ Philosophiæ Prof. Publ. *Kænigii Com-*
pendium Theolog. explicantem, quotidie audiebat, fre-
quens etiam erat in **QVENSTADII** ac **DEUTSCH-**
MANNI *Prælectionibus* ac *Scholis*, nec non **BEBELII** ad
Aug. Confessionem *Commentationibus*, quoad licuit per fata,
denique **WALTHERI**, quem nominasse sufficerit, *Scho-*
lis Thetico-Polemico vix triennio absolvendis, interfuit.
In primis vero se dederat **Jo. FRID. MAYERO**, seculi
nostrí Chrysostomo, qui quidem, cum discessisset
Hamburgum, applicuit sese ad **D. CASPAREM LOE-**
SCHE-

SCHERV M, spectatæ fidei; prudentiæque, Theologum,
de quo dubius erat, felicius gigneret, an accuratius do-
ceret. Hic igitur, seu publice, seu privatim prælegeret,
seu Kænigium traderet, seu Calovii *Apodixin Articulorum*
fidei disputando inculcaret, nunquam GLEICHII
sui desideravit præsentiam. Norat nempe N O-
STER, fieri vix posse, ut quis solidam mysteriorum
cognitionem hauriat, ni quotidie disputando, exami-
nandoqve, exerceatur. Quod quia hodie juvenes vel
obiter faciunt, vel prorsus omittunt, hinc solide do-
ctorum numerum, prætentissimo Ecclesiæ damno, in-
dies videmus imminui. Aliter sentiebat NOSTER, qui
non modo privatis disputationibus Scherzeri & Kro-
mayeri *Systemata* sibi familiaria reddidit, sed & publicis,
quantas in diviniore disciplina progressiones tecisset,
ostendit. Paucos enim ante dies, quam hinc discede-
ret M A Y E R V S, Anno 1687. hoc quidem præside quæ-
stionem: *Quare hæresis Pontificia reliquas præcipuo quodam*
ac perenni vigore superet? excusfit; anno autem sequenti,
præside C A S P. L O E S C H E R O disputationem T A V F R E-
R I de *absoluto reprobationis decreto*, quæ inter Ejus *Apologe-*
ticas ordine est *sexta*, applaudentibus omnibus de-
fendit.

Accidit postea, ut, sub finem anni *millesimi, sexcen-*
tesimi, noni & octogesimi, Torgam, ubi tum JO. GEOR-
GIVS III. Princeps Elector Saxoniæ commoraba-
tur, excurreret, urbem multo elegantissimam, & ab
Aula non raro frequentatam, visurus. Vacabat ea in urbe
tunc inter Sacerdotes locus. Innotuerat NOSTER, nec
enim virtus latere potest, J A N O, DÖRINGIOQUE, Con-
sulibus, penes quos summa suffragiorum t. t. in Senatu
erat, cuius in clientela urbis sunt sacerdotia. Visum his
suit concionantem audire. Placuit. Rogantur in Se-
B 2 natu

natu sententiæ. Præter suam, & aliorum, expectationem plurimorum suffragiis creatur Ecclesiæ urbis Diaconus. Mittitur data opera, qui hunc perferat nuncium. Rem NOSTER cum LOESCHERO & WALTHERO, quibus utriusque maxime fidebat, communicat. Ambo, ne cunctando, dubitando, fortunam corrumpat, auctores sunt. Exit igitur cum nuncio NOSTER. In itinere parum abfuit, quin, rupta glacie, una cum jumento, quo vehebatur, aquis mergeretur. Sed Numen in tempore affuit, NOSTRUMQUE, præsentissimo vitæ periculo ereptum, incolumem duxit Torgaviam. Hic tabulas vocationis, præsente, & adstipulante sacrorum in urbe Antistite, ab Senatu accepit. Mox Wittenbergæ sacris, more majorum, initiatus fuit. Concionem postea inauguralem magna, non modo civium, sed Aulicorum quoque frequentia, habuit, dignam, quæ typis imprimenda, postmodum a LOESCHERO, magni nominis Theologo, singulari elogio commendaretur.

Quam natus fuerat spartam, hanc pro virili ornavit, deditque operam, ut majoribus etiam rebus gerendis idoneus haberetur. Multis equidem hodie est persuasum, ubi semel periculis defuncti, muniisque admoti, fuerint, non esse, quare se debeant multis lucubrationibus macerare, cum, acquisito fine, actio cesseret. Quapropter studiis nuncium remittunt, sibi, suisque vivunt, officium utcunque faciunt, quod reliquum temporis est, vel otio, vel amicis, vel rei familiari impendunt, quasi qui nullo scientiæ augmento indigeant. Ab horum se institutis longe removit NOSTER, qui, postquam ad munia publica accessit, priorem in literis contentionem non modo non imminuit, sed etiam duplicitavit. Enim vero anno seculi superioris XCI. edidit *Oratorem suum germanicum*, eo quidem literatorum applau-

burgensium Delegatis, eidem oblatus est, ut vix quenquam Theologorum a tam multis, tanto studio, tantaque cum contentione, expetitum fuisse meminerim. Utut autem in his omnibus conditiones offerrentur non contemnendæ, maluit tamen Dresdæ manere, officiumque suum pro viribus facere, quam vel Aulæ fastidium, vel metum imminentis periculi, vel appetitum denique quietis, & otii, præ se ferre.

Interea vices Antistitis Sacrorum in Aula sæpius, & omnino quater, sustinuit. Nec enim, quæ Saxonæ nostræ infelicitas fuit, vel SEELIGMANNUS, vel BUCKIUS, arduis illis, gravissimisque, partibus diu perfuncti sunt. Quoties autem cunque NOSTER eas jussu REGIS in se recepit, eas sic sustinuit, ut nec HERUS, nec HERI proceres Ministri, in illius vel asfiduitate, vel fide, vel dexteritate, quicquam desiderarent. Quod ut NOSTRO tot inter fastidia & curas magno erat solatio; sic præcipue illud, quod ei, jam anno seculi superioris *septimo & nonagesimo*, Virgo, quæ Gratiarum omnium, virtutumque compendium, dici merebatur, CHRISTINA MARGARITA, Viri summe Venerabilis, & Magnifici, GEORGII GRENI, Poef. primum, deinde & Histor. bac in Academia Prof. P. celeberrimi, postea vero Serenissimi Elector. SAX. JO. GEORGII III. a Concionibus in Aula primariis, Confessionibus sacris, & Consiliis Ecclesiasticis, filia, Numine ipso conciliante, convenerat in manum. Cum hac fastidia, si quæ incidebant, dividere, in hanc curas, quas effugere non poterat, rei familiaris devolvere, ab hac aliquando, cum res posceret, levamentum petere huc dum & expectare potuit. Quo nomine quanquam & sibi, & aliis, multo felicissimus

mus videbatur, erat tamen, quod concordissimi alio-
qui Conjugii suavitatem non parum temperabat, ste-
rilitas. **GRENIA** enim solidos novem, ex quo nupta
fuerat, annos non peperit, cum quidem suo cum
GLEICHIO sat recte sibi videretur valere. At ludit
in humanis divina potentia rebus. Novem annorum
sterilitatem aliquot annorum jucunda fœcunditas se-
quebatur. Duos enim filios, totidemque filias sua e
MARGARITA suscepit, quos omnes uti ad pietatem
modestiamque formari curabat; sic initio nil minus,
quam orbitatem, timebat. At lætum Eum, ac fiden-
tem cum Sobole, tum disciplina domus, repente desti-
tuit fortuna. Filium enim alterum, & Filiam alteram,
necdum puberes, extulit. Natam, quæ supererat, le-
cta non magis venustatis, quam eximiæ virtutis, virgi-
nem, & propemodum maturam Viro, illo ipso die,
qui Arch-Angelo in fastis sacer erat, amisit. Restabat
filius, natu major, qui, cum indies in patriæ spem, &
utriusque Parentis solatium, efflorescere videretur, sub-
ito illum invasit febricula, & paucos intra dies
confecit.

Priamum tunc in **GLEICHIO** nostro vidisses,
omnium Suorum superstitem quidem, sed tantopere
afflictum, & animo perturbatum, ejus ut dolores non
magis, quam Agamemnonis Iphigeniam immolantis,
exprimi a quoquam possent. Illa enim plaga percul-
sus sedebat jam orbus, mœrens, lacrymans, in
solitudine ac squalore, nec, in quo post Deum ac-
quiesceret, habebat, præter Uxoris amorem, & Ami-
corum fidem.

Fuit

Fuit tamen & illud Eidem pro solatio , quod
Potentissimus Sarmatarum Rex & Princeps
Elector Saxoniæ **FRIDERICUS**
AUGVSTUS, *Dux Saxoniæ, Juliæ,*
Cliviæ, ac Montium, nec non Angriæ & VVest-
phaliæ, Landgrafus Thuringiæ, Marchio
Misniæ, & utriusque Lusatiaæ, cetera, Dominus
ac Nutritor Noster multo Clementissimus,
medias inter calamitates familiæ, ac funera
Suorum, Eundem, motu proprio, *Consilium*
Ecclesiasticum appellavit. Qui honos utut vir-
tuti Ejus extra ordinem est datus, inde tamen a
biennio Senatui frequens interfuit, sententiasque de
rebus gravibus & arduis dixit, publicamque salutem
pro virili adjuvit. Ceperat jam tum consilium sum-
mos in Theologia honores capessendi, nec id impro-
batum erat ab Aula: inopinatus tamen, tristissimusque
filii, quem unicum habebat, obitus, Eundem, cum
propemodum in procinctu staret, ab instituto retraxit.
Accesserunt vices Antistitis Sacrorum in Aula
post excessum Bucci denuo Eidem impositæ, per quas
Ei domo abesse non licuit. Nunc sibi, suisque Musis,
redditus, consiliique certus, perficere destinata con-
stituit, craftino die ab Hora IX. Orationem gravem,
qua

Symbolum Apostolicum non esse posse normam ad-
æquatam dogmatum Fidei & Religionis, prout
quidem hodie fingunt Indifferentistæ,
ostendet, habendis a se lectionibus præmislurus.

Debe-

Debemus hoc Viri Magnifici, Summeque Venerandi, meritis, etiam hanc in Academiam collatis, ut, ad hanc audiendam, sponte confluamus frequentes. Credo, & omnes cupiditate quadam flagrare, Oratorem, cum natura sua facundum, tum arte, usque multo politum, audiendi. Interim, ne qua in re, vel illius modestiae, vel meo ipsius officio, videar defuisse, ab RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO, PER ILLVSTRI R. I. COMITE, Patribus Academae Conscriptis, ceterisque O. O. Doctoribus, una cum Venerandis Ecclesiae Oppidanæ Ministris, & Collegio Philosophorum Adscriptis, omnibus denique Literatis, & Literarum Fautoribus, ne graventur interesse isti Orationi, reverenter, officioseque contendeo. P. P. Dom. XI, post Trin.

A. clo lccc XXIV.

VVITTENBERGAE,
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

Nec tamen opus est, NOSTRUM a patria laudare,
cum tantum ab eo decoris ad patriam redeat, quan-
tum inuicem ab illa accepit, nec minus honorificum
sit Geræ, GLEICHUM tulisse civem, quam GLEICHUM
ornat, Geram habere patriam. Interim non minoris
hodie laudis est, nasci Geranum, quam olim honestum
erat, nasci Athenensem. Patrem habuit ANDREAM
GLEICHUM, antiqua virtute, fideque Virum, Musi-
ces etiam apprime peritum eamque ob causam in aula
Illustriss. Comitum gratiosum, quem, annos natum octo
& sexaginta, NOSTER anno superioris seculi tertio &
nonagesimo extulit. Mater ei fuit ANNA DOROTHEA,
genere AUERBACHIA, spectatae integritatis, proba-
tæque virtutis, femina, quæ, anno hujus seculi tertio
atque decimo, septuagenaria decessit. Mitto avos,
paternum quidem ERHARDUM GLEICHUM, Er-
phurtenfis Reipublicæ Senatorem; Maternum M. A N-
DREAM AUERBACHIUM, Ecclesiae Dischutzensis,
prope Geram, Pastorem. Duo autem hoc loco
prætereunda non sunt, quod præ cæteris notatu digna
videntur. Alterum, quod per Aviam maternam, Sy-
billam Capellam, Zachariæ Capelli, Pastoris Langen-
heffensis filiam, Andreæ Auerbachii conjugem, luculen-
tum illud, ac pingue stipendium, quod hodie Weigan-
dianum vocatur, & viduæ D. ADRIANI ALGINI, Can-
cellarii olim Custrinensis aulæ, debetur, Gleichenſis fami-
liæ beneficium esse cœpit. Alterum quod in Gleichenſi
domo Viros, unum post alterum, deprehendo, qui di-
midium prope seculum Deo, Ecclesiæque, ac scholis,
fideliter servierunt. ANDREAS enim GLEICHIUS,
Summe Venerandi CANDIDATI Pater, quatuor &
quadraginta in Gymnasio, cuius quartam gubernabat
classem: ERHARDUS autem CAPELLUS, Zachariæ

parens, totidem annis in Ecclesia fudavit, anno demum primo seculi superioris denatus.

E tali ergo familia oriundus mature animum applicuit ad discendum. Vix enim annum ætatis quartum attigerat, cum in Gymnasium duceretur, iis ut imbueretur doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet. Plurimum autem refert, quibus quis præceptoribus utatur, quod discentes fere ad Magistrorum suorum mores, & placita, se componunt. Nec fuit tamen, quod hic vel in Numinis bonitate, vel Parentum suorum cura, posset desiderare, cum a JOANNE FISCHERO, CASPARE ZOPFFIO, Parente ipso, & illo Gerenfis Gymnasi Statore, KOEBERO, doceretur, quorum omnium in se formando dexteritatem, fidemque, depraedicat. Erat in adolescentulo, præter docilitatem ingenii, summa cum modestia & oris suavitate conjuncta industria, ut omnia, quæ tradebantur a præceptoribus, non modo celeriter arriperet, sed firmiter etiam retineret. Didicit igitur *Latinas*, *Græcasque* literas, quod facile intelligebat, sine his eruditum nomen tueri sese non posse. Addidit & *Ebreas*, quo fontes divinioris doctrinæ adire posset. Sæpius scribendo ac declamando exercebat seipsum. Aliquando poemata recitatbat Latina & Græca. Non raro intererat eruditis conflictibus, &, nunc respondendo, aliorum tela in se contorta excipiebat, nunc ipse, aggrediendo, in alias contorquebat sua. Denique nullum facile prætermisit diem, quo non vel alias exiceret, vel ipse exiceretur.

Ita vero rite præparatus, in Academiam, velut ad mercaturam bonarum artium & disciplinarum, statuit proficiisci. Ac initio quidem Lipsiam salutavit. Salutavit, inquam. Ut enim in ea, & literis more majorum iniciatus, & numero civium Academicorum, a

Recto-

Rectore tum temporis OTTONE MENKENIO V. Cl.
adscriptus, cursum etiam studiorum Philosophicorum,
Duce VALENT. ALBERTI, ingressus fuerit, subito
tamen Lipsiensem Academiam cum Wittenbergensi
commutavit, favorabili conditione allectus. Enimvero,
in ipsis Lipsiensium nundinis, inter NICOLAVM, Phar-
macopolam urbis hujus, & postea Prætorem, & GLEI-
CHIVM patrem, convenerat, alter ut alterius filio vietum
cum hospitio, pensatis utrinque rationibus, præberet.
Lipsia igitur relicta, NOSTER Wittenbergam, annos na-
tus novendecim, migravit, Rectore THEODORO
DASSOVIO, Prof. Poeseos Ordinario, LL. OO. Ex-
traordinario, civium Academicorum numero adscri-
bendus. Hærent aliquando, ac sedent, in Academiis
juvenes, qui ad perpetuas tenebras damnant se ipsos,
quod honesta hominum consortia fugiunt, scholas nul-
las frequentant, nec temere, nisi ex occasione, in lu-
cem prodeunt, domi vero, & in angulis, delitescunt,
privataque cuncta industria tractare ac imbibere cupi-
unt. Hos, vel nunquam Academias adire, vel Acade-
miis rectius uti, fruique, oportebat. Ut enim ordi-
nem docentium ac discentium, divinitus institutum,
perturbant, sic sibi metipsis nocent, fructumque, ex aliena
institutione exspectandum, eripiunt. Horum
NOSTER fuit dissimilis, qui, hanc in Academiam dela-
tus, nihil eorum omisit, quae, ad comparandam soli-
dam, variamque doctrinam, factura videbantur.

Relictis igitur omnibus, dedit Philosophiae ope-
ram. Nec enim præposterum illorum consilium pro-
babat, qui, ut in Academiis initio Theologica tractet,
hinc demum, si quid restet temporis, in Philosophiam
incumbat, juventuti auctores sunt. Pridem quippe
didicerat, sapientiae studio ante præparari debere inge-
nia,

nia, quam ad graviora illa, magisque ardua, se accingant. Audivit igitur multæ doctrinæ, multique laboris, Virum, M. GEORGIVM MICHAELIS, qui jam tum Ordines velut in castris Philosophorum ducebat, hodie vero Collegio Sapientum adscriptus, & octogenario major, *bonum in domo Dei signum*, ut loquar cum Ebræis, habetur. Hunc in *Logicis*, & aliis Philosophiæ partibus, habuit Magistrum, & ita habuit, ut agros fertiles imitaretur, qui multo plura reddunt, quam olim acceperunt. Tulit enim a NOSTRO, ad ultimam usque senectutem, fidei suæ, ac industriæ fructum *Michaelides*, quemque olim auditorem habuerat, huc dum Evergetam & Patronum, expertus est. Nec alios tamen sapientiæ Doctores facile præteriit NOSTER, qui, totum Philosophiæ campum emetiri, pridem apud se constitutum habebat. ROESCHELIO igitur in *Pneumaticis*, DASSOVIO ac SENNERTO in *Linguis Orientibus*, & Sacris, ROEHRENSEO in *Moralibus*, STRAVCHIO & WALTHERO in *Mathematicis*, VATERO, quem unum ex omni, tum temporis in Academia docentium, numero salvum superesse gaudet, in *Physicis*, Præceptoribus usus fuit. Vix tamen quenquam vel studiosius audivit, vel magis admiratus est, quam sidus Academiæ hujus, C. S. SCHVRTZFLEISCHIVM, Virum divinas humanasque scientias ingenio suo complexum. Hujus enim ab ore quotidie pendebat, hujus doctrinas avidissime capiebat, hunc unum omnium maxime sequendum sibi ac imitandum esse putabat. Est mihi metipsi svavis & jucunda temporis illius memoria, quo ad illum, tota Germania celebratissimum Literatorem, ibamus una, quando is vel de literis ad humanitatem ducentibus, vel de rebus nuper aut olim gestis, vel de Antiquitatibus, ac veterum

Coll. diss. A. 259, misc. 62